cum possessione pacifica firmato et stabilito sine ullo iuris ordine aut debito ac l[egiti]mo iudiciario processu ad simplex quoddam te instante obtentum mandatum quod neutiquam tam communi quam Actorum iuri l[egiti]mo praeiudicare potest aut potuit ipsis Actoribus non cittatis neq[ue] per sententiam abiudicatis iure asserto tuo non deducto multominus comprobato verum etiam et ipsorum bona ad ipsos iure naturalis successionis post olim N. et N. C. quae postea praedicto N. secundas impressit] primarum nuptiarum coniuges Actorum praedictorum Avum et Aviam pertinentes et ad quae per quas tua asserta donatio sese non extendit neq[ue] extendere potest in tergum illorum occupasti et tibi appropriasti eisdem Actoribus vel eorum plenipotente bonorumq[ue] inquilino in contrarium protestante et reclamante imo et ex eisdem bonis occupatis proventus et emolumenta ipsis interdicis ac tibi nullo iusto iure prout et ipsa bona appropriasti et occupasti in grave ipsorum actorum praeiudicium quod sibi contra te ad [illegible] flor[enos] pol[onicos] taxant et aestimant totidemq[ue] exinde damni habent. Et quoniam ex praescripto iuris communis nemo de bonis suis licet etiam male possessis eiciendus sit nisi eadem bona in dei [illegible] ex iustis instantijs eidem abiudicata fuerint vel in suis terminis legitime citatus non comparuerit Ideo citaris ad videndum et audiendum ipsos Actores tanquam expulsos in bona sua ante omnia decreto nostro restitui perceptos perte fructus exinde et emolumenta illis reddi ad refusionem damnorum et impensarum eo nomine per ipsos subitorum et ut iuris est comprobandarum te iudicialiter cogi ad exponendum vero de potioritate iuris ad bona memorata habito iux[ta] ius scriptum ac similia decreta n[ost]ra ad forum bonis competens te et ipsos Actores remitti ac quod de iure venerit in praemissis intercedente iudiciali cognitione n[ost]ra statui et decerni. Sis itaq[ue] tanquam donatarius ex vi eiusdem donationis n[ost]rae pariturus et responsurus Certificamq[ue] autem te etc.

Citatio commissarij dum non attentis tenutarij Regij servorum [illegible] dislimitatem inter bona facit

Tibi Generoso N. in causa limitum bonorum nostrorum Regalium villae N. cum bonis Generosarum N. fratrum villis N. ana cum alijs Concommissarijs tuis Commissario nostro ex eodem Commissionali quo tum temporis a nobis fungebaris officio tuo bonisq[ue] omnibus mobilibus et immobilibus Mandamus ut coram nobis et Consiliarijs n[ost]ris tunc latere nostro assessuris in Conventione Regni generali Varsoviae vel alias ubivis celebranda die prox[ima] et immediate [illegible] ab inceptione eiusdem conventus prima tamen exclusa quindecima Ad instantiam Instigatoris ex delatione Generosi N. personaliter et peremptorie compareas Citaris ad amissam cittationis priorem contra infrascriptorum nomine antea addictam qua citatus fuisti pro te [illegible] tunc in causa praedictorum limitum [illegible] bonorum memoratorum tam nostrorum Regalium villae N. quam etiam Generosorum

N. fratrum Villarum tx haeredum una cum alijs conCommissarijs tuis eorumque quos itidem instigator noster cum ipso delatore salvas et speciales sibi reservat actiones Commissarius existens non attentis ipsius Tenutarij nostri servitionem iustis rationibus coram se et alijs conCommissarijs tuis illatis quibus fundationem Iurisditionis vestrae commissarialis atque adeo ipsam assertam dislimitationem bonorum impugnabant et non admittebant neque eo considerato quod idem Tenutarius noster in nostris et Reipub. negotijs absens extra Regnum illo tempore quo hoc ipsa asserta bonorum dislimitatio peragebatur fuerit quodque vigore Constitutionis Regni nostri publicae liber et exemptus a quibusvis Iudiciorum subsellijs tum et processibus iuridicis esse debuit reliqua villae istius instituistis et effecistis quod ijdem commissarij teorumque et quemlibet eorum Instigator noster una cum eodem delatore salvas et speciales sibi reservat actiones) ultra eiuscemodi legitimas allegationes stante ipsius delatoris tenutarij nostri iusto impedimento legali et ultra praescriptum ipsius Constitutionis ad quandam assertam bonorum dislimitationem processerunt ac scopulos erigi fecerunt quo nomine plurimum praeiudicij bonis nostris Regalibus praedictis per vos ad instantiam vestram illatum est quod praeiudicium Instigator noster una cum eodem delatore taxat et aestimat sibi contra vos ad … flor. monetae et numeri Regni nostri tantumque sentit se habere exinde damni prout protestatio eo nomine facta praemissa latius in se continet ad quam se cum sua praesenti citatione in toto refert Et quoniam ea omnia stante eiusmodi legali impedimento ipsius delatoris ex vestri instantia a Commissarijs nostris ultra praescriptum et beneficium constitutionis attentata et acta sunt ideo citamini ad videndum et audiendum actum eiusmodi Commissoriale dictorumque scopulorum erectionem ex rationibus in termino advenienti vobis fusius allegandis tanquam minus legitimam cassari disiectionem eorundem decerni ac bona ipsa in pristinum statum restitui vos vero in dannis superius expressis bonis nostris illatis condemnari ac quod de iure venerit statui. Sitis itaque parituri praemissa attentaturi et si quid Iuridicum vobis competierit responsuri. Datum etc.

Citatio occupationis nullo iure villa ad Capitaneatum M. pertinent.

Stephanus etc. Tibi Generoso tx bonorum nostrorum Regalium villae N dictae ad Capitaneatum nostrum tx pertinentis occupatori ac alijs quibusvis ius et interesse desuper habere se putantibus quorum nomina et cognomina sic habere volumus pro expressis de eisdem occupatis bonis nostris et iure asserto si quod se in id habere praetendunt ac alijs omnibus bonis tuis mobilibus et immobilibus Mandamus ut coram nobis et Iudicio nostro ubi tunc cum